DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ menſis Decembris, anno Domini M.DCC.XLIII.

M. PHILIPPO DAVIER DE BREVILLE, Dotariæ Hiſpaniarum Reginæ, dùm viveret, Medico Ordinario, Doctore Medico, Præſide.

An Leucophlegmatiæ Kermes minerale.

MORBI à colluvie ſeroſâ propè innumeri. Oriuntur etenim vel ab adauctâ lymphâ, vel à ſtagnatione ejuſdem, vel ab illius craſi, tandem ab ejus extrà vaſa effuſione.

Seroſus adaugetur latex in plethorâ; ergò cauſæ plethoræ ſunt etiam redundantis lymphæ cauſæ; ergò nimia ingurgitatio, quies, evacuationes ſuppreſſæ &c. largiori ſurnâ lympham effundent.

Stagnatio vel à debilitate partium ſolidarum vel à craſi lymphæ oritur. Solidorum infirmitas producitur ipſa vel à nutritionis defectu, vel à paralyſi, ſive ab imminutâ fibrarum elaſticitate, ſive à nimiâ diſtractione fibrarum rupturæ proximarum, &c. undè vaſorum in ſua contenta inertia, undè motus imminutus, undè torpentium pigritia liquidorum. Nunc ad craſis mutatæ Tragœdias.

Lymphæ poteſt vitiari craſis ſeu à motu ipſiuſmet, ſeu ab heterogeneis partibus admiſſis. Motu rapido nimis poteſt nimiùm conquaſſari, attenuari, dividi, fluxilior reddi: lento nimis motu contrarium accidet. Alienis partibus acceptis v. g. admiſſis ſalibus muriaticis, ammoniacis, ſalinis, acidis, alkalinis, fiet muriatica, ammoniacalis, ſalina, acida, alkalina. Hinc eſſe poterit magis gelatinoſa; hinc craſſior, tenacior, ſpiſſior, glutinoſior; hinc tenuis, actuoſa, fluxilis; hinc ſubacris mordax, erodens. Si ſulphurea aut terrea admiſerit ramenta, tunc pinguem, oleoſam, inertem, deprehendes. Hæc omnia vel à victu, vel ab aëre, vel ab exercitatione, vel à puris partibus receptis, producuntur.

Lymphæ tandem effuſio aut à diſtenſione nimiâ aut ab eroſione vaſorum ſuos ducit ortus. Hæc-ce à ſtagnatione, illa verò à craſi erodente ſeri oritur. Undè diſruptis vaſis lymphaticis intrà varias cellulas, varias capacitates, varios ventres ſerum properabit.

En genuinæ variarum hydropis ſpecierum cauſæ, quæ vulgò ab aliâ determinantur cauſâ. Hanc edocet ſectio anatomica in jugulatis colluvie lymphaticâ. Ex miſcellaneis naturæ curioſorum, & ex Boneti ſepulchreto, aliiſque Anatomiſtarum ſcriptis conſtat hepar exſangue, tumidum, atrum, tenſum, ſchirroſum, hydatidi-

bus plenum, calculos continens fuiſſe repertum, (a) Pancreas abſumptum, corruptum, ſphacelatum: Quin & lien obſtructa cum glandulis inteſtinorum, ſed ventriculi præſertim majori magnitudine & duritie donatis, conſpiciuntur. (b)

Miro nec non fatali conſenſu hæ concatenantur cauſæ in Leucophlegmatiâ: at à detectis cauſis deſumuntur indicationes curatoriæ quid ni & ipſamet morbi curatio: ergò quid in leucophlegmatiâ ſit agendum palàm eſt. Rebus probè penſitatis remedium quod omne tollat punctum, inveſtigemus.

I I.

HYDROPS pro vario humoris collecti ſitu varia ſortitur nomina. Si caput, hydrocephalus; ſi abdomen, aſcites; ſi ſcrotum, hydrocele nuncupatur. Quoties in toto habitu pinguedinis ſubcutaneæ ſeroſus humor ſtagnat vel effunditur hydrops oritur ἀνὰ σάρκα, ὑπὸ σάρκα, λευκοφλεγματία: qui & circum abdomen & circà ſcrotum. (c) quidam ut Aretæus, Cœlius Aurelianus & Fridericus Hoffmannus anaſarcam inter & Leucophlegmatiam, maximam conſtituunt differentiam. Verùm gradu tantùm diſcrepant, Leucophlegmatia nimirùm faciliorem recipit ſanationem quam anaſarca. Undè levis nec metuendus error; undè quin communi flumine abripiamur nil vetat. Diſputent igitur: per nos licet. Quid quid ſit ad ægrum anaſarcâ laborantem accedamus, ſymptomatum perſequamur decurſum. Jam tumuêre pedes, brevi ad femora, inguina, ilia, abdomen & ſcrobiculum uſque cordis (d) tumor pertingit. Scrotum intumeſcit. (e) Situ decliviori ſuffocationis metum minatur. (f) Mirum quoque tuſſis & nonniſi inane tuſſiendi deſiderium mentiens (g) in partibus pedum membranaceis ingens ſæpè percipitur pruritus, macularum livorem præferentium, & veſicularum acri lymphâ turgentium eruptioni dat anſam. (h) Undè non rarò mali moris prodeunt ulcera. Urina mingitur tenuis & alba. Febris lenta & continua cui horror & rigor ſuperveniens de ægro conclamatum eſt (i). Salubri phyſicâ his-ce explanatis, conſtat plethoram, ſtagnationem lymphæ, craſim intrà vaſa, effuſionem intrà cellulas adipoſas hoc in morbo reperiri; ergo quæcunque vaſis impertientur vim illam quâ agant in liquida ſtagnantia, quâ effuſa reſorbeant, quâ depravata & redundantia expellant, ad ſanationem hujus morbi tendere neceſſe eſt. Nunc an adſit remedium his donatum virtutibus ſedulò eſt perpendendum.

I I I.

AMbubaiarum Collegia, Pharmacopolæ,
Mendici, Mimæ, Balatrones, hoc genus omne, (k)

Objectis populo præſtigiis vel, recitandis næniis ſtipem colligat, & ſtipitem de-

(a) *Vide Horſtium Lib. 3. Obſ. 9. & Tulpium Lib. 2. cap. 36.*

(b) *Tulpius Lib. 4. Cap. 35. Felix Platerus lib. 3. Prax. cap. 3. Obſ. 50. & Hercules Saxonia in Prælect. Pract. part. 2. cap. 27. Vide etiam Riverium, Schenckium, Foreſtum, Peyerum, Rondeletium, Fred. Hoffmannum, Boerhaavium.*

(c) *Aphor. de cognoſc. & curand. morbis ab Herman. Boerhaave. Aphor. 1225.*

(d) *Infimæ partes primò tumentes ſanguinis intrà viſcera abdominalia progreſſum valdè difficilem denotant. Illud Phænomenon ad obſtructionem referes. Hanc adſertionem Lovveri experimento confirmabis. Hic enim in vivo animali venam aliquam majorem filo conſtrinxit, idque vinculum per horam reliquit & protinùs tumorem œdematoſum, in illâ parte, quâ rami ad venam excurrunt animadvertit.*

(e) *Aqua circà inguina collecta, ſub communibus teſticulorum integumentis ſe inſerens tumoris in ſcroto cauſa exiſtit, abdomine aquâ prorsùs vacuo. Hæc ad ad plethoram.*

(f) *Ad reſpirationem inſervientibus in ſuis functionibus læſis partibus, tunc pulmo non ſatis dilatatur, in ipſo coacervatur ſangnis, hinc diſpnæa.*

(g) *Erodens ſerum & in toto oorpore peccans & Laryngis & Bronchiorum fibrillas ſtimulat, convellit, irritat. Undè tuſſis pravæ craſeos ſeri eſt indicium.*

(h) *Ejuſmodi ulcera teſte Hippocrate Lib. 6. Aph. 8. difficulter ſaneſcunt & conſolidantur. Ad motum & craſim lymphæ illud omne eſt referendum.*

(i) *Funeſta ſphaceloſæ viſcerum corruptionis indicatio.*

(k) *Horat. Satyr. Lib. 1. Sat. II.*

cipiat, nil mirum; ſtolida plebs & avidiſſimè credula perpetuò ludificatur, perpetuò ludificata eſt, perpetuò ludificabitur. At ne os populi ſubliniatur ſedulò cavere debet probus probæ Medicinæ defenſor. Quæ conveniunt abſque verborum farragine indicet: ſed proh dolor! Populi ſuffragia ſtultiloquiis & vaniloquentiis tantummodo capiuntur. Quæ cùm ita ſint, non igitur in foro, ſed ad ſolos Æſculapii poſtes affigimus remedium adeſſe leucophlegmatiæ conveniens. Sub ditione ἰατρίκης Medicis, ſicut Medicum decet, Kermes Minerale proponimus.

Antimonium fruſtulatim contuſum cum ſale alkalino quodam fixo, ſeu ſtybii ipſius ſcoriæ in aquâ communi decoquantur, decoctioni per cartham bibulam tranſcolatæ affunde acidum quodvis, pulvis quidam croceus ad fundum vaſis præcipitatione decidet. Aderit Kermes Minerale. Non adeò priſcum medicamentum. Frater Simon ex Ordine Carthuſianorum, nec non & quidam circumforaneus Operarius remedium illud quaſi Panaceam mirabilem à ſe detectam ubique ambitiosè protulerunt anno circiter 1713. Non illi defuêre ſpecioſa nomina quæ utriuſque jactantiæ faverent. In Galliâ vocatum eſt Pulvis F. Carthuſiani, Kermes aut Alkermes Minerale, medicamentum idem quod jam à ſeptem annis D. Lemery deſcripſerat ſub nomine Sulphuris Aurati Antimonii; quod in Germaniâ ſub Ceutaurii Mineralis nomine abſconditum fuit: quod tandem apud Anglos ſub nomine Pulveris Ruſſelliani fuerat in uſu. (a)

Quidquid ſit pars, Antimonii ſulphurea Alkalium ope diſſoluta, ex ipſorum compedibus acidorum affuſione extricata, in medicamentum abit naturâ ſuâ, ut patet, merè ſaponaceum, proindèque ſolidorum inertiæ excitandæ, ac fluidorum depravationi emendandæ, ſeu quod idem eſt Leucophlegmatiæ tollendæ apprimè comparatum.

I V.

PRIMO quidem quoad ſolida. In medicamento propoſito adſunt partes (qualeſcumque ſint) quibus vaſorum fibræ vellicantur, convelluntur, conſtringuntur, & earumdem tonus reſſuſcitatur. Lympha inter illarum interſtitiola ſtagnans expellitur, abſumitur; vaſa ipſa exſiccantur, roborantur, liquidorum actioni ſuſtinendæ, reactioni in liquida perficiendæ fiunt habiliora. Hæc de ſolidis. Nunc ad fluida. Duplici modo poſſunt vitiari. Vel intra vaſa depravantur, vel ex ipſiſmet vaſis erumpunt, & intra cellulas adipoſas aberrant. Utrique incommodo obviam adeſt Kermes minerale. 1°. Sale quo turget Alkalino depravatos ſuccos immutat, craſſiores attenuat, inſpiſſatos ſolvit. 2°. Vaſa ope pulveris noſtri in priſtinum tonum reſtituta, devios humores vel reſorbent, vel per diaphoreſim, urinam aut alvum expellunt. Hæc ratiocinio deprehenduntur; ad experientiam confugimus. Vidimus ægrotantem ita collectione ſeri tumentem, ut follibus inflatum dixiſſes; ita ſpirantem, ut anhelantem & ilia trahentem putaſſes; ita affectum, ut morti proximum pronuntiaviſſes. Tantis in periculis quænam ſtella affulſit? Diſcite. Refracta doſis Kermetis mineralis multoties oblata tam copiosè urinas promovit, ut liberiori aurâ frueretur æger & ex erebi faucibus fuerit ereptus.

Non ſolis proximis Leucophlegmatiæ cauſis medetur, ſed etiam remotis, quandoquidem contumaces viſcerum obſtructiones facilè reſerat. Vana eſſent quæ hîc congererem ratiocinia, ut hanc Kermeris mineralis vim confirmarem, ſiquidem à multis multotiès jam fuerit decantata. Nova igitur ratio propoſitum adhibendi remedium.

(a) *Geoffroy Mat. Med.*

V.

MEDICOS appello, & quidem illos qui in praxi maximè retorridi, (a) hic pulvis veluti panacea, ſeu remedium univerſale habetur. Vomitum nonnunquam excitat...... alvum ſæpè & blandè movet....., urinam provocat, vel diaphoreſim aut ſudorem excitat...... uno verbo operationem ſuam exerit prout natura vergit ad hos vel illos humores, per hæc vel illa emunctoria excernendos.....,.. In contumacibus virginum cachexiis utiliter exhibetur (b) eſt remedium in chronicis morbis, & qui ex diuturnioribus viſcerum obſtructionibus naſcuntur, efficaciſſimum. (c) Mirificè & momento catharrum ſuffocativum ſuſpendit. (d) ad Acrimoniam ſeri deliniendam mirè conducit, Si fas ſit jurare in verba Magiſtrorum, nonne ritè ex dictis concludemus Medicamen noſtrum & tollendis leucophlegmatiæ ſymptomatis eſſe maximé congruum? At, inquiet aliquis, Pulvis tuus ex te emeticus eſt & purgans; totum itaque ſuum effectum in venventriculo & inteſtinis exerit. Si majori doſi exhibeatur, eſto. At ſi medicamenti noſtri ſemigranum tantummodò, vel granum unum tertiâ quâque horâ ſumpſeris, jam non vomitorii, non cathartici, ſed attenuantis vices gerit, diaphoretici ſimul & diuretici. Sanguineam maſſam ingreditur: ibi ſulphura ſua expandit, vaſorum parietibus applicatur, illorum oſcillationes reſtaurat, lymphæ depravationem, craſſitiem, & extravaſationem curat, verbo medetur Leucophlegmatiæ.

Ergò Leucophlegmatiæ Kermes Minerale.

(a) *Geoffroy. Mat. Med.*
(b) *Fred. Hoffmannus. Notæ ad Poterium.*
(c) *J. Junkerus. Med. conſpectus.*
(d) *Schroderus, de Medicamentorum galen. & Chymicor. neceſſitate.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Ludovicus Liger.

M. Petrus Rouſſin de Montabourg, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius, nec non Regis, Regiique Noſocomii San-Germani in Layâ.

M. Ludovicus-Maria Pouſſe, Cenſor Regius.

M. Joannes-Stephanus Guettard, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Achilles-Franciſcus Fontaine.

M. Antonius Caſamajor, Cenſor Regius.

M. Natalis-Maria de Gevigland.

M. Joannes-Baptiſta-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius.

M. Raymundus de la Riviere.

Proponebat Pariſiis, ANTONIUS LE CAMUS, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.